

INVITATIO  
ad funus  
*Amplissimi atq; Clarissimi Viri*  
**DNI. GVILIELMI**  
**MECHOVII,**  
Philologi, Oratoris, Historici  
& Poëtæ,  
*Per Orbem Literatum*  
*Notissimi,*  
In Illustri, quod Luneburgi est, ad S. Michaël.  
Gymnasio Professoris Fidelissimi,  
*Nobiliumq; Inspectoris*  
*Vigilantissimi,*  
Cujus exanime corpus hodie ad horam IV po-  
meridianam Terræ Matri  
reddendum.



Biogr. erud.

1624,4

INVITATIO

ad futuram

amplissimam ac Christianissimam

DM. GUILIELMUS

MECHOVII

Philologi, Oratoris, Historici

& Poetæ

Per Ordinem Universitatis

Verisime

in Illust. p. vob. Luncburg. c. 1712. N. 10.

Guarantio Professoris Titularis


Medicinis Professoris

Titularis

Cujus exanimo coram vobis

in idem T. 1. 1712.

reddendum



# DIRECTOR

&

# PROFESSORES

Illustris Gymnasii Luneburgensis

ad D. Michaëlis

L. B. S.



VILIELMUM MECHOVIUM, Amici,  
Virum celeberrimum, inter eruditos Claris-  
simum, virtute & animo præstantissimum cum  
doloris acerbitate hodie domo efferimus, in-  
terqve pia justa comploramus. Oculis quidem  
credi de homine nunquam oportebat, majus  
judicium est, quo tantæ rei nomen, illaqve cœlestis particula  
auræ in nobis censerî suspiciqve deberet. Tamen adeo pro-  
clive est mortalibus, eam fragilem, tardam, gravem, molestis-  
simam sui partem nimis quam diligenter ac prope Solam in-  
spicere. Ad quam tamen non aliter, nisi velut ad suum quisq;  
malum necessarium, ac probrum & onus, ad illam certe inglo-  
riam nostri partem verecundari & erubescere Christianos quo-  
tidie decebat. Seminatur illa minime decoro, minime illustri,  
nec splendido loco, imo ad turpitudinem usq;. Cum liberis  
dare operam quam honeste dicatur, eaqve de causa suos quoq;  
matrimoniis ipsi parentes jungant, ejus tamen operæ nomen  
dicere non audent. Inde coalescit coagulaturq; compages  
illa, non procul à sordibus & in squalore: editur autem tan-  
quam

quam

quam pollutis undequaque sacris. Vix anni aliquot intercedunt molles, incerti, omnes fluxi & fragiles; simul flos cecidit, pallent, liventq; cuncta in simile genus. Multorum deniq; temporum opus cadaver momento factum, ipso se horrore suo ab oculis nostris protegit atq; abscondit. Hæ sunt origines omnium nostrum, hic finis exitusq; humani corporis, quod casus quispiam aut morbi vis, aut repens ultro senium & mors tandem ipsa destruit & absumit. An ergo quisquam inter hanc lentam humani generis tabem, inter male cohærentia & caduca prorsus omnia, corpusculum CLARISSIMI MECHOVII, illud vigiliis laboribusq; attenuatum tot per annos, fessum fatigatumq; respiciat, nec putet induvias potius illas magni cuiusdam esse hospitis? Qui per membra artusq; omnes prorumpere & elabi ex ista specu atq; antro; aut sane excutere hanc ruinosam domum, ubiq; gravem ac prementem, adeoq; liberari quamprimum à corpore mortis hujus exoptet, suspirret, & quotidie connitatur? Nostrum quidem sodalitium, quotquot ingenium excolere à primis statim annis, literisq; operam dare, tantis animo propositis præmiis, Honorum, Claritudinis, Opum, potentia, Famæ Gloriaq;, & cæteris blandissimarum voluptatum spebus excitamur; quid quæso æque affligit, quid aliud ætates nostras omnes perinde infestat, ac perpetuo circumfidet malo, nosq; ex istis doloribus gaudia & lætitiâ manere jubet? Quum vero nobis subire labores omnino multos & magnos cum SALVATORE conveniat, si cum ipso regnare cuperemus; at vero Sirenum magis illecti vocibus, pati libentius cum hoc mundo & propter hunc mundum communi labe nostra præoptamus, inque tot vota subinde & tot negotia distringimur imperiti, quibus sufficere *Vnum* ac satis esse poterat; ideo vel ipsa sic desideratæ sapientiæ studia, tam prolixè nobis molesta, atq; ærumnosa fieri oportuit, attenuare hoc corpus nostrum, exuere paulatim vigorem & vires, sequiorem insuper Animi partem in hæc terrena reclinantem atterere & macerare ipsis spebus operisq; suis, usq; dum ex tot  
amba-

ambagibus suscitata iterum & erecta curarum illarum pertæsa  
omnium, ad simplicitatem illam, quæ ad CHRISTUM JESUM  
ducat, ad illud verissimum Philosophiæ & studiorum omnium  
caput ac mentem evadat. Equidem literarum, doctorumque  
prærogativa ac splendor animum B. MECHOVII NOSTRI,  
id quod egregiæ indolis documentum semper est habitum, à  
prima statim occupaverat ætate. Addebant stimulum imagi-  
nes Majorum & antiqua in Polonia nobilis familia Mechovi-  
ana, ex qua gente proavum habuit Henricum Mechovium,  
qui jam B. Lutheri tempore superstitionibus Pontificiis abju-  
ratis puriorem doctrinam Evangelicam amplexus Ecclesiæ  
Arendseensis factus est Pastor: avum Danielem Mechovium  
Beslemensis Ecclesiæ Pastorem, & patrem Henricum Mecho-  
vium Elsdorffensis Ecclesiæ Pastorem vigilantissimum, exi-  
miæ pietatis virum, qui ex diuturna & frequenti consuetudi-  
ne orandi, qua genibus nixus preces suas ad Deum solebat fun-  
dere, conspicuum callum in utroque contraxerat genu. Ab hoc  
patre matremque Anna Kaats femina honestissima B. Gvilielmus  
noster prognatus est anno M DC XIIX. Dominica adventus  
prima. Postquam cœlesti lavacro tinctus, pectusque ejus vir-  
tutum semini præparatum, præcipua parentum cura id ageba-  
tur, ut quam felicissime succederet educatio. Mitto jam pue-  
ritiæ adolescentiæque in ludis & scholis non ludicra, sed mo-  
lesta atque aspera: mitto scopulos Triviales, ubi labor laborem,  
& molestia molestiam excipit, ubi intra sollicitudinem & an-  
xietatem, spe pariter metuque commista vertuntur omnia; quæ  
sagax promptumque ingenium Mechovii cuncta vicit: & quic-  
quid heic vulgo negligitur aut peccatur, evitavit. Ille non  
præceps aut immaturus crudas adhuc literas in Academias vo-  
luit propellere, id quod alias fieri solet perperam: sed ea in  
Græcis & Latinis, Artibusque prius ponere fundamenta, quibus  
potior & melior eruditio instrueretur feliciter. Ad Juliam A-  
cademiam profectus, primum SCHEURLINGII Philosophi ex-  
cellentissimi, ac deinde GEORGII CALIXTI summi Theologi

usus convictu, ex quorum consuetudine & familiaritate eruditio ejus indies plurimum excrevit & incredibiliter adaucta est. Magna industria evigilavit in Philosophiæ, neq; minore in Theologiæ studio. Exquisite vero, eamque peculiarem posuit diligentiam in Philologia, quam veluti Gratias, Veneresq; suas deperibat, adeoque Poetas ediscebat, Historicos peragrabat, Oratores cognoscebat, quod studium cum tempore ita crevit, eoque pervenit, ut in quodam amabilis morbi genere id interdum numerare solitus. Hisce studiis sub nixus **GVILLI-ELMUS MECHOVIUS** noster in aliquam jam penetrarat claritudinem.

Quinquennium jam ibidem exegerat, Academiae hujus, inter discipulos, singulare ornamentum, & Dn. Professorum benevolentiam sibi conciliarat haud vulgarem; quum, ob ipsa illa studia, quæ tantopere adamabat, & quibus pubes instruenda, ad juventutem in Schola Walckenriedensi moderandam & erudiendam Serenissimi P. auctoritate vocaretur Rector. Paruit ille, licet, quàm misera sit magistrorum natio, & quàm indigne vulgo habeatur, hoc immortale inter mortales splendoris instrumentum, sibi haud esset ignotum. Accuratissimam vero ejus diligentiam, quam in juventute erudienda collocasset **B. MECHOVIUS**, quum Serenissimi nostri Consilarii conspexissent ipsi, scholæ Cellensi, adeoque in sede Principis, eum præfecerunt. Bonis auspiciis ei tum, anno videlicet **M DC LI** matrimonio juncta fuit venustissima pariter & Honestissima virgo **Elisabetha Margarita Nizeniana** jam afflictissima vidua, quæ in lamento & squalore maritum ademptum luget. Conjugium hoc obtigit ei felix & fecundum, ex quo septem filios, unamque filiam suscepit, ex quibus quinque supersunt filii, paternarum virtutum æmuli, qui patrem carissimum sibi ereptum conqveruntur ea ipsorum ætate, quæ illius consilio & auxilio jam magis videbatur esse opus. Demum **B. MECHOVIUS** noster ob cognitam jam & summis viris probatam, quam per **XVI** annos in Cellensi schola præstiterat, sedulitatem, anno  
M DC

M DC LXVI huc Luneburgum evocatus, & in Clarissimi Notelmanni locum successus, Nobilium in schola Equestri Inspector, & in Gymnasio Eloquentiæ & Poëseos Professor constituitur. Quam vero curam & diligentiam ad sibi commissam juventutem utroque cum publice tum privatim adtulerit, ipsi ejus discipuli, quos ex singulis ordinibus, Nobiles pariter & Cives, Patricios & plebeios, in sua habuit curatione, cuncti uno ore loquuntur. Quod vero ex illo tædii refertissimo labore informandi erat tempus reliquum, inertis & desidiose otio non contrivit; sed privatis illud impendit studiis meliorum Auctorum scripta versans & pervolvens sapientiæ doctrinam ex iis collecturus. Itaque grandia ex istis congregavit Excerptorum volumina. Laborum illorum fructus uberes & lætos ex Hermathene & Parænetica cognoscit jam & percipit Orbis Literatus; uberes longe & lætiores habiturus ex iis, quæ in Theologiam Naturalem & Historiam Luneburgicam commentatus est, nisi mortis hora præveniens, operibus hisce extremam exclusisset manum. Cum ingruente Barbarie ei perpetua fuit lucta, quippe, qui purioris Latinitatis assertor studiosissimus & propugnator acerrimus semper reperiebatur juventutis erudientiæ per triginta annos magister solertissimus. Ita in Clarissimo nostro Mechovio plurimus semper labor fuit in Literis, & propter Literas, & ob istud, quod gloriosum docti semper, & quandoque citra gloriam, in oculis habent. In omnibus istis vidit & pervidit quam fragilis, lubrica, misera & laboriosa sit omnis humana conditio. Itaque inter laborum suorum accessiones ad exitum sui respexit, mortemque meditatus est: Afflicta sensim valetudine intimi pectoris robur adactum. Quicquid vero decessit corpori, animus lucrifecit. Vicit semper anima, quoties dejectum fuerat corpusculum, & è nova strage suas recuperavit vires. Spiritum quidem trahebat difficiliter, non Animam: quæ & quotidie emigrabat, & tanquam è limine prospicere visa est ad cælos. Aderat solenne festum Pentecostes, quum B. MECHOVIUS ipse sui exitus vates

tes

tes & prognosticæ artis peritus ex divino Spiritu, propediem ad futura & imminencia fata, & quæ sibi mens, & quis sibi in articulo illo critico sensus, versiculis sequentibus haud obscure ita aperiret:

*Deniq; suprema quum forte advenerit hora,  
Orag; jam certo saliunt trepidantia letho;  
Fac placidus rapiam manantem in viscera mortem,  
Et spectem eterno dulcissima gaudia visu.  
An stygia nocti damnabis lubrica vite?  
Eg; tuo jubeas conspectu cedere vatem?  
Per, si quid superest vita, per viscera summi  
Patris, per mundum Sotæris vulnera Christi,  
Oro, da veniam stolido, & miserere dolentis.  
Sic peto decrepitis terra omniparentis alumnus,  
Sic precor immensi pars exiguisima mundi!*

Resoluto igitur mortali corpore, animam Deo reddidit. Ejus viri exuviæ quum solenni pompa funebri in æde Michaëlitana Terræ matri hodie ad horam quartam pomeridianam sint tradendæ, nostros monemus, reliquosq; Amicos nostros, & Literarum meliorum Fautores rogamus, ut frequentes adesse, funus comitari, adeoq; pie defuncto supremum honorem habere velint. Quod pietatis officium mæstissimæ viduæ filiisq; hoc parentis sui casu afflictis solatio haud exiguo futurum, ac nobis gratissimum quacunque data occasione nos reddituros promittimus.      Luneburgi die XXX Junii M. DC LXXIIX.

*Publico nomine*

*f.*

J. BUNO.

